

nen kann, daß die Kleriker von den Sitten der Mönche Vieles entlehnt haben, was sie nachahmten. Aber keineswegs leiteten die Kleriker das Gesetz: „das kanonische Offizium zu beten“ von dem Beispiele der Mönche her, das sie dann genehmigten, bestätigten und als unwiderrufliche Verordnung; denn die Kleriker sind ja viel älter, als die Mönche und jene haben diesen bei ihrer Entstehung den Weg gezeigt und das Gesetz oder die Gewohnheit vorgezeichnet. Sowohl die Canones der Kleriker als die Regeln der Mönche haben gewiß dieß mit einander gemein, daß sie jenen Gebrauch, vermöge dem die kanonischen Stunden entweder gebetet oder gesungen wurden, nicht sowohl einführen, als den schon eingeführten erläutern und mehr ordnen und verbessern.

Ich wende mich nun von der morgen- zur abend-  
ländischen Kirche, um auch hier den Ursprung des göttlichen Offiziums und die uralte Verpflichtung hiezu und somit die Uebereinstimmung beider Kirchen in dieser so hoch wichtigen Disciplinarsache darzustellen.

(Fortsetzung folgt.)

### **De praecepto confessionis et communionis tempore Paschatis.**

Tempus olim fuisse, cum fideles quotidie Eucharistiam acciperent, ex Apostolorum Actis (2, 42). „Erant autem perseverantes in . . . communicatione fractionis panis,“



intelligimus, et hoc eo facilius potuerunt, cum normam s. Augustini: „Sic vive, ut quotidie possis sumere,“ accuratissime observarunt, praecedentique confessione tam frequenter non indigebant. Hac autem consuetudine postea sensim evanescente Anacletus s. Martyr et Pontifex praecepit, ut ministri, qui Missae sacrificio interessent, communicarent, quod ab Apostolis constitutum esse affirmavit. Hinc sacerdos, cum Eucharistiam sumpsisset, ad sacram mensam fideles invitavit verbis: „Venite fratres ad Communionem.“ Tunc, qui parati erant, summa cum religione sacrosancta mysteria sumebant. Dixi: qui parati erant, quia qui non erant parati, vel peccato quodam, saepe et levi, conscientiam contaminaverunt, certe prius sincera confessione sese paraverunt. Sed cum deinde charitas et pietatis studium adeo refrixisset, ut raro admodum ad communionem fideles accederent, etiam confessio communioni sacrae praecedens semper magis necessaria fiebat et prorsus decreto Fabiani Pontificis, ter quotannis in Natali Domini, et Resurrectione et Pentecoste Eucharistiam sumendi, et a multis conciliis praesertim ab Agathensi I. confirmato sacramentalis confessio huic cuilibet communioni praecedens et ob hominis fragilitatem et ob tempus longius distans ex praecepto erat mandata. Ut unum testis coaevi eloquium adferam, S. Cyprianus mandavit: „Nam cum in minoribus delictis, quae non in Deum committuntur, poenitentia agatur justo tempore et exomologesis fiat inspecta vita ejus, qui agit poenitentiam, nec ad communionem venire quis possit, nisi prius illi ab episcopo et clero manus fuerit imposita etc. Epist. 17. c. 2.

Ad extremum, cum eo res adducta esset, ut non modo sancta illa et salutaris praeceptio non servaretur,



sed in plures et annos confessio et Sacrae Eucharistiae communio differetur, nova decreta hac de re necesse erant. Et ita de his nobis agendum, sed prius de confessione.

### Confessio tempore Paschali.

In concilio Lateran: sub Innocentio III. statutum est: „Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti;“ Idque sub mortali, ut patet tum ex gravitate materiae tum ex poena injuncta: „Alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur et moriens christiana careat sepultura,“ quas poenas tantum post iudicis sententiam incurrat. Tempus hoc confessionis annuae conc. Trident. accuratius determinavit sess. 14. Cap. 5. dicens. „Neque per Lateranense concilium ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium et institutum esse intellexerat; sed ut praeceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. Unde jam in universa ecclesia cum ingenti animarum fidelium fructu observatur mos ille salutaris confitendi sacro illo et maxime acceptabili tempore Quadragesimae: quem morem haec sancta synodus maxime probat et amplectitur, tamquam pium et merito retinendum.“ Cui capitulo in eadem sessione canonem IX. adjunxit: „Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem ecclesia servat, esse impossibilem et traditionem humanam, a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni concilii Lateran. constitutionem, semel in anno et ob id suadendum esse Christi fide-



libus, ut non confiteantur tempore *Quadragesimae*: anathema sit.“ Hic conc. Trident. tempus *Quadragesimae* ad annuam confessionem quam maxime acceptabile et propterea suadendum indicat et commendat, contrarium dicentem anathematizat. Hoc in tempus et paschale tempus venit, quo praeceptum ecclesiasticum (conc. Trident. sess. 13. con. 9.) et ut sub prius nominato Pontifice *Fabiano* decretum in festo Resurrectionis, omnibus fidelibus sacram *Communionem* necessario praescribit; hinc jam postulatur confessio tempore paschali non minus, ac communio, quæ, ut ea ecclesiæ praecepto satisfiat, jam confessionem præponit, dicente s. Paulo 1. Cor. 11. 18, 19.: „Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit.“ Et conc. Trident. sess. 13. cap. 11. „Ne tantum sacramentum, sc. *Eucharistia*, indigne atque ideo in mortem et condemnationem sumatur: statuit atque declaravit ipsa sancta synodus illis, quos conscientia peccati mortalis gravet, quantumcunque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem.“ Qua de re et in *Catechismo Romano* legimus de pœnit. pag. 254. „Merito debent (sacerdotes) corpori Christi mystico; i. e. fidelibus, illud administrare . . . cum præsertim fideles hoc ipso Pœnitentiæ sacramento ad sacram *Eucharistiam* sumendam apti idoneique redantur.“ Et propositio 55. ab *Innocentio XI.* damnata: „Præcepto communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem,“ jam antecedentem confessionem reddit necessariam. De confessione peccatorum venialium concilium Trident. sess. 14. cap. 5. „Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, et in



quæ frequentius labimur, quamquam recte et utiliter citra omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod piorum hominum usus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt; recte itaque utiliter esse venialia confitendi, ut id pii homines faciunt, declarat. Et can. 7, ejusdem sessionis: „Si quis dixerit, non licere confiteri peccata venialia, anathema sit;“ hunc ecclesia damnat. Adferamus autem et eloquia sanctorum patrum et quidem ex permultis s. Cyprianum in sermone de Lapsis dicentem: „Quamvis nullo sacrificii aut libelli facinore constricti sint, quoniam tamen de eo cogitaverunt, idipsum apud sacerdotes Dei dolenter confiteantur;“ et s. Thomam in 4. dist. 17. q. 3. art. ita scribentem: „Dicendum, quod ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur.“ S. Cyprianus desideria et cogitata confitenda postulat; et s. Thomas etiam venialia ad satisfaciendum ecclesiæ præceptum confitenda edicit. Et profecto quis potest finem mortalis et venialis peccati, si hæc adhuc augentur et ut plerumque hocce modo in acervam accrescunt, tam stricte discernere atque definire? Quam ob rem et piæ animæ, quæ sæpe sæpius in anno et confitentur et communicant et quorum conscientia fere nunquam letali culpa maculatur, tempore paschali omnia totius anni peccata, et jam confessa, confiteri solent.

Confessio itaque omni jure communioni paschali præmittenda, ipsaque merito confessio paschalis (*Osterbeicht*) venit nominanda.

### Tempus paschale.

Pro sententia nostra pugnat etiam breve tempus



Paschale, quo tunc temporis simul et ob confessariorum inopiam tota communicantium multitudo minime confiteri potuisset, hinc conc. Trid. sess. 14. cap. 5. jam totum tempus Quadragesimæ ad confitendum maxime acceptabile nominat. Tempus paschale declaratione Eugenii IV. in Bulla: Fide digna anno 1440 a dominica Palmarum incepit et dominica in Albis terminavit; ab Episcopis autem ex privilegio vel consuetudine prorogatum est. In diœcesi nostra a dominica quarta Quadragesimæ inchoat et dominica quarta post Pascha concluditur. Sicut itaque priori tempore paschali brevior, et si confessariorum inopiam respicere volumus, omnes fideles confiteri non potuissent; ita hodie longiori Paschalis tempore et strictiori parochiarum determinatione unacum necessaria sacerdotum copia, quam facillime confessiones omnium subditorum fidelium in singulis parochiis possunt audiri, et confessio facilis negotii paschali communioni præmitti, et ita confessio paschalis nominari et revera esse quilibet intelligit. —

Sacerdos proprius hujus confessionis.

Interrogatur nunc, quis nomine sacerdotis proprii in conc. Lateran. prius citato intelligi debet?

Sanctus Ligorius hanc interrogationem sequenti modo solvit.

Sub proprio sacerdote intelligitur non tantum parochus, sed quilibet sacerdos ad confessiones approbatus, ut explicat Glossa, et intelligunt Faganus. Cabass. et alii communiter. Et hoc hodie non revocatur in dubium ex universali consuetudine, quæ adest: ideoque S. C. anno 1384 declaravit, quod si Episcopus juberet, ne quis confessarius in Pashate audiret confessiones pœnitentium sine licentia curati, talis decreti



nullam habendam fore rationem.“ Hoc etiam Benedictus XIV. contra multos, qui parochum sub sacerdote proprio intelligunt, in synodo diœcesana lib. XI. cap. XIV. Nr. I—VI declaravit, decretum concilii Lateran., in Paschate proprio paracho esse confitendum, consuetudine esse derogatum.

Proprius itaque sacerdos ad confitendum etiam tempore paschali est quilibet sacerdos approbatus.

### De Communione paschali.

Præceptum Communionis Paschalis est divinum et ecclesiasticum. Divinum propter Domini eloquium apud Joannem 6, 54. „Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et hiberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.“ Ecclesiasticum autem, quia in concilio Lateran. IV. præcipitur: „Omnis . . . Suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum; nisi forte de proprii sacerdotis concilio ob aliquam rationabilem causam (si e. g. poenitens absolvi non posset et absolutio jam extra tempus paschale proferri necesse esset, ubi et cuilibet confessario, tempus paschale pro tali poenitente ad tempus necessarium protrahendi, jus competit) ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum“ etc. et conc. Trid. sess. 13. can. IX. „Si quis negaverit, omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis saltem in Paschate ad communicandum juxta praeceptum S. Matris ecclesiae: anathema sit.“ Ex sacra scriptura et accuratiori ejus determinatione per concilia communionem paschalem ex praecepto tam divino quam ecclesiastico necessariam demonstravimus. —

(Fortsetzung folgt.)